

„2. Dispensandi in casibus occultis et in foro conscientiae tantum super primo et secundo gradu simplici et mixto affinitatis ex copula illicita provenientis, in linea sive collateralis sive etiam recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium, quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita, tam in matrimoniis scienter vel ignoranter contractis, quam in contrahendis.

„3. Dispensandi cum subditis, [exceptis Italis, de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, atque]<sup>1</sup> excepto insuper casu matrimonii cum viro vel muliere Judaeis, super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis ac praesertim de amovendo a catholico conjuge perversionis periculo, de conversione conjugis infidelis pro viribus curanda ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda: servata in reliquis adjecta instructione typis impressa.

„4. Dispensandi cum suis subditis, [exceptis Italis, de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse]<sup>1</sup>, super impedimento mixtae religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis prout in superiore n. 3.

„5. Dispensandi in matrimoniis mixtis jam contractis, non item in contrahendis, super gradibus consanguinitatis et affinitatis, super quibus Apostolicam facultatem pro catholicis jam obtinuit, quatenus pars catholica, praevia absolute ab incestus reatu et a censuris, cum parte acatholica rite et legitime matrimonium contrahere de novo possit, prolesque suscepta ac suscipienda legitima declarari, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis prout in sup. n. 3.

„6. Sanandi in radice matrimonia contracta, quando comperitur, adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex Apostolicae Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte consciã impedimenti de effectu hujus sanationis.“

Additur clausula: Voluit autem Sanctitas Sua et omnino praecepit, ut praedictus Episcopus superioribus facultatibus justis dumtaxat gravibusque accedentibus causis et gratis utatur, injuncta tamen aliqua congrua elemosyna in pium opus arbitrio Episcopi eroganda, atque ut elapso quinquennio de singulis dispensationibus concessis certiorare debeat Apostolicam Sedem.

<sup>798</sup> III. Facultates extraordinariae (Formulae E), quae etiam solum iis subdelegari possunt, quibus facultates Form. D, et quae *insuper* requirunt *urgentissimas* causas, atque pro solo certo numero casuum dantur:

„Dispensandi in utroque foro cum catholicis, ejus jurisdictioni subjectis, in matrimoniis sive contractis sive contrahendis super sequentibus impedimentis:

„1. Super impedimento primi gradus affinitatis in linea collateralis ex copula licita provenientis pro [v. g. 10] casibus.

„2. Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis admixti cum primo in linea transversali pro . . . casibus.

„3. Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali aequali pro [conceditur major numerus] casibus.

„4. Super impedimento publico primi gradus affinitatis ex copula illicita provenientis in linea sive collateralis sive etiam recta pro . . . casibus, dum-

<sup>1</sup> Haec clausula a die 4. Maji 1887 non amplius addetur: cf. Zitelli, *De dispens. matrim.* pag. 94.

modo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium, quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita.“ (Additur clausula fere ut supra, sed ut *urgentissimis* dumtaxat concurrentibus causis Episcopus his facultatibus utatur).

Dataria pro quibuslibet impedimentis publicis, quorum dispensatio<sup>799</sup> sperari potest, aditur. Modum, qui observari debeat tum apud Datariam, tum apud Poenitentiarium, vide infra n. 804 sqq. — Gratiae autem, quae a Dataria conceduntur, in diversis expediuntur dicasteriis: primum est officium „*Minoris gratiae*“, ubi in remotioribus gradibus dispensatur; secundum officium „*Cancellariae*“, ubi in gradibus mediis; tertium „*Praefectura Brevium*“, ubi in proximis gradibus dispensari consuevit. Quare si ex regionibus remotioribus recursus ad S. Sedem haberi debet, plerumque ex Praefectura Brevium dispensatio habebitur, siquidem in iis gradibus, in quibus alia officia consueverunt dispensare, plerumque Episcopi ex privilegio speciali dispensare valent. Cf. etiam Bangen II. p. 175.

Sc. officiales Datariae expediunt omnes dispensationes in gradu *tertio et quarto* et in *quarto*; officiales Cancellariae eas, quae petuntur in gradu *secundo* aut in *secundo attingente tertium*; in praefectura Brevium expediuntur dispensationes omnes, quae utcumque attingunt gradum *primum* aut in affinitatis gradu *primo solo* petuntur.

Si autem in necessaria impedimenti explicatione criminis mentio occurrit, quod ad tribunal S. Inquisitionis spectat, hoc S. Officium adiri quidem debet: at si parochus dispensationis obtinendae tentamen facere pro consulto habeat, nihil impedit, quominus ipse literas supplices ad Datariam dirigat vel pro circumstantiis ad Poenitentiarium; nam in iis, in quibus Poenitentariae sive Datariae officiales nihil ex se possunt, S. Pontificem, ut dixi, adibunt, quid concedere velit, exploraturi.

Ceterum in quocumque impedimento *publico* dispensatio petitur, securius et efficacius petitur per Ordinariatum. Nam Ordinarii attestatio atque causae inquisitio a Romana Sede exigi solet: quare nisi jam in ipsis literis supplicibus haec Ordinarii recognitio continetur, saltem morae trahuntur, antequam dispensatio vel potius dispensandi facultas concedatur.

## § 2.

### *De causis dispensandi.*

Uti dictum est, dispensatio non sine causa conceditur. Neque<sup>800</sup> omnis causa pro omni impedimento ut sufficiens haberi potest.

Distinguuntur causae honestae et inhonestae; causae finales seu *motivae* et causae *impellentes*. Causa finalis seu *motiva* ea respicit, quae sibi attingenda aut removenda legislator dispensans proponit, v. g. prolis legitimationem, scandalum et infamiam auferenda vel praecavenda, difficultatem puellae inveniendi virum, cui convenienter nubat, et similia: sunt igitur internae rationes, cur dispensatio concedatur, seu

quas ipsa dispensatio respiciat. Causae impellentes sive *impulsivae* dicuntur eae, quae dispensantem movent, ut facilius dispensationem concedat, quae causam motivam supponunt.

I. Valor dispensationis et subsequentis matrimonii corrumpitur, si causa motiva vera et sufficiens non existit; non corrumpitur, si, existente quidem et allegata veraciter sufficienti causa, etiam alia falso addita erat.

II. Facilius omnino, etiam in propinquioribus gradibus, dispensatur ex causis inhonestis, quam ex honestis; siquidem in illis semper quaedam necessitas seu malum avertendum habetur.

<sup>801</sup> Praestat causas canonicas indicare ex recenti *Instructione super dispensationibus matrimonialibus* a S. C. de Prop. Fide 9. Maji 1877 edita (v. Acta S. Sedis vol. 10 p. 291 sqq.), quae et causas canonicas breviter enumerat, et ea, quae in petenda dispensatione praeter causas necessario sunt exprimenda, indicat. Addit S. C. hoc monitum: „Haec prae oculis habere debent non solum ii, qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam, qui ex Pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur“; insuper monet: „Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviores causas requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis opponitur“. — Dein pergit S. Congr.:

„Opportunum visum est, in praesenti instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas juxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

„Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adjunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa juvant. Hujusmodi autem causae sunt sequentes:

1. „Angustia loci sive absoluta, sive relativa (ratione tantum *oratrix*), quum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere ei sit durum.“

NB. Angustia loci non est desumenda a numero focorum cujusque parochiae, sed a numero focorum cujusque loci, vel etiam plurium locorum, si non distent ab invicem ultra milliare: ex resol. S. C. C. 8. Julii 1876. Angustus autem dicitur locus, qui non plus quam 300 focos habet.

2. „Aetas feminae superadulta, si sc. vigesimum quartum aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa non suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.“<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Refert Knopp op. cit. *„Eherecht“* edit. 3 pag. 454, hanc causam aetatis superadulatae etiam admitti, quamquam puellae antea oblatae sunt nuptiae cum viro paris conditionis, modo propterea eas recusaverit, quia constituerat manere coelebs.

3. „Deficientia aut incompetencia dotis, si nempe femina non habet actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.“

4. „Lites super successione bonorum jam exortae, vel earundem grave et imminens periculum. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriis expensis prosequatur, praeter illum, qui eam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, sc. dos litibus involuta, quum nimirum mulier alio destituta est viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa non nisi pro remotioribus gradibus sufficit.“

5. „Paupertas viduae, quae numerosam prole sit onerata, et vir eam alere pollicetur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.“

6. „Bonum pacis, quo nomine veniunt non tantum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sunt, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur: vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conducere.“

7. „Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, necnon cohabitatio sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.“<sup>802</sup>

8. „Copula cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita, et praegnantia ideoque legitimatio prolis, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebejis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non sit sub spe facillioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda“ — cf. hac de re nunc infra n. 812.

9. „Infamia mulieris ex suspitione orta, quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa; quum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta maneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.“

10. „Revalidatio matrimonii, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est; quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. sess. 24 c. 5 *de ref. matr.*“

11. „Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro celebrandi. Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, sprete Ecclesiae

auctoritate, justa invenitur causa dispensandi, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Ita docuit haec S. Congregatio in instructione die 17. Aprilis 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter quum Vicarius Apostolicus Bosniae postularet, utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevideatur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli conjugium inituros, S. Congr. S. Officii in IV. fer. Aug. 1822 decrevit, respondendum oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in formula II. commissis, prout in Domino expedire judicaverit. Tantundem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholica matrimonium celebrare audeat.

12. „Periculum incestuosi concubitûs. Ex superius memorata instructione anni 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinato sordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.“

13. „Periculum matrimonii civilis. Ex dictis consequitur, probabile periculum, quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut ajunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.“

14. „Remotio gravium scandalorum.“

15. „Cessatio publici concubinatus.“

16. „Excellentia meritorum, quum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus.“

„Hae sunt communiores potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi ac sacrorum canonum interpretes.“

803 Porro quum hae causae sint potiores, aliae non excluduntur. Affertur v. g. passim a scriptoribus pro causa „conservatio divitiarum in eadem familia illustri“; insuper dispensatio, quam S. Pontifex interdum concedere solet sine iis causis, quae ut canonicae habentur — vocatur illa dispensatio „ex certis et rationabilibus causis“ —; a fortiori causa quaelibet „magni publici boni“ ratio dispensandi est.

Uti fere per se patet, causae a n. 6 et deinceps allatae graviiores sunt, et ad dispensationem etiam in difficilioribus impedimentis possunt sufficere; priores nn. 1—5 fere pro remotioribus gradibus cognationis aut similibus impedimentis tantum sufficiunt, nisi forte plures causae simul conjunctae existant. — Cf. Bangen II. p. 179 sqq., von Schulte op. cit. pag. 359 sqq., Knopp § 44—56.

### § 3.

#### De petitione dispensationis.

804 I. Parochus aut confessarius, quando dispensatio per ipsum petenda est, primo videat, a quo debeat dispensationem petere; dein maxime attendat, quid necesse sit in petitione exponi.

Quando igitur a publico impedimento petenda est dispensatio, exponere debet nomen sponsorum, i. e. cognomen et nomen *integre* scriptum, adeoque v. g. „Andreas“, non A., et locum atque dioecesim sive originis, sive actualis domicilii; idque faciendum est, sive per Datariam, sive per Poenitentiarium in forma pauperum (sive immediate, sive per Ordinarium) dispensatio concedenda speratur.

Censetur autem *publicum* impedimentum quaelibet consanguinitas, atque etiam facile affinitas ex illicita copula orta, si femina gravida evasit, modo agatur de matrimonio *contrahendo* (v. Bangen II. p. 169). Alioquin *occultum* dicitur impedimentum, si pauci tantum, iique prudentes, qui praevidentur rem silentio premere, conscii sunt; *omnino occultum* dicitur, si praeter impedimenti auctores nemo est, qui illud cognoverit, aut summum unus, qui probare illud non possit (v. infra § 4).

II. In publico impedimento triplici forma dispensatur: 1) in forma nobilium, 2) in forma ordinaria, 3) in forma pauperum. Omnes illae diversae dispensandi formae occurrunt apud Datariam. Attamen qui in forma pauperum dispensationem petunt, possunt, ut jam dictum est, literas etiam ad S. Poenitentiarium dirigere minoribus expensis.

Discrimen vero diversae formae in eo est, quod in forma nobilium causa minus gravis sufficiat ad impetrandam dispensationem, at multo etiam major taxa pecuniaria in pios usus expendenda exigatur. Neque id injustum est. Nobiles enim sibi demereri, causa publicae utilitatis est pro Ecclesia et ad bonum publicum promovendum; imo ipsa largae eleemosynae erogatio partim defectum gravioris causae supplet, ita ut supremus Ecclesiae legislator pro gratia exceptionem aliquam a communi lege facere possit.

In forma pauperum antiquitus vix alia causa admittebatur, quam 805 „causa infamans“, ut: copula habita, nimia familiaritas, sponsae diffamatio, matrimonium jam contractum, propter quod sine scandalo separatio fieri nequiret etc. — Decursu autem temporis facilius concessae fuerunt dispensationes pauperibus ex aliis „rationabilibus causis“, ut exponunt editores Act. S. Sedis vol. I. p. 446. — Ut autem illo modo dispensatio peti possit, debet vere de canonica paupertate constare<sup>1</sup>. Juvabit declarationem Pii VI. exhibere (v. Knopp p. 271, Bangen II. p. 211): „Vere autem pauperes non utique alii existimantur, quam qui adeo miserabiles existunt, ut labore manuum et industriâ tantum vivant; quo fit, ut dispensatio in forma pauperum non aliter a S. Sede Apostolica concedatur, quam si de paupertate dispensandorum constet ex proprii Episcopi attestatione, et ea quidem, quae exarata sit juxta decretum Urbani VIII., quod nimirum oratores pauperes et miserabiles existant, et ex suis laboribus et industria tantum vivant. — Quia tamen illi etiam pauperes merito dici possunt, qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma

<sup>1</sup> Quare nunc, si rigore loqui volumus, jam distinguunt dispensationem *in forma pauperum* et *pauperibus concessam*. Prior illa datur ex causis inhonestis etiam iis, qui pauperes non sunt, si hanc formam magis volunt, cum minoribus expensis, tamen ratione habita conditionis fortunae; posterior solis pauperibus, minutis vel condonatis expensis, conceditur etiam ex causis honestis.

pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possident valoris scutorum 300 monetae Romanae, si ipsi citra montes degunt, vel si ultra montes, valoris ducatorum de camera 300, summam attingentium scutorum 525 monetae Romanae (NB. circiter 2400 M. seu 3000 Fr.). Quodsi bona habeant ad quantitatem usque scutorum vel respective ducatorum 1000, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quae vulgo *componenda*<sup>1</sup> dicitur scutorum 4 pro quolibet centenari<sup>1</sup>, quae S. Dominus N. memorat et vult vel eroganda esse in subsidium pauperum vel ipsis dispensandis titulo eleemosynae remittenda, si nihilominus, eorum conditione inspecta, pauperes esse videantur. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur.

Nostris vero temporibus videtur summa duplo major sumenda esse; jam anno 1841 summa 5000 Fr. a rectoribus Datariae assignabatur: vide Gury II. n. 879. Imo secundum Bangen II. p. 212 canonica paupertas allegatur in precibus, quoties aliquis ex meris redditibus bonorum suorum pro conditione status sui decenter vivere non potest, nisi adhibeat negotium, industriam vel manuum laborem. Qui vero munus publicum gerit, ex eoque salarium percipit, quod pro victu secundum status sui conditionem ac muneris dignitatem et onera, annuatim vel omnino vel quasi totum insumit, hic inter pauperes pariter reputatur. — Attamen si qui *lato sensu* pauperes sunt, eorum conditio et bona fortunae exponenda sunt, et videndum, num *aliquam* taxam pecuniariam, minorem vel majorem, solvere possint.

Instructio Ep. Hildesiensis d. d. 14. Martii 1886 *simpliciter pauperes* eos vocat, quorum possessiones frugiferae valorem 2400 mc. non superet; *ferè pauperes*, etiamsi possessiones valorem circiter 8000 mc. attingant. (Cf. *Archiv für k. K.-Recht* vol. 56 pag. 264 sqq.).

Si petitio falso tamquam pauperibus facta est, dispensatio non censetur invalida; at exsecutor, qui ante dispensationem datam falsitatem detegit, negotium sistere et re exposita sanationem debet petere: cf. n. 819, 10.

In casibus *occultis* apud Poenitentiarium nulla fit distinctio diversae formae, neque taxa pecuniaria ulla imponitur; sed summum expensae in expeditione literarum necessariae solvendae sunt.

806 III. Literae melius quidem scribuntur linguâ latinâ; at quum cuilibet tribunali Romano praesto sint interpretes diversarum linguarum, absolute necessarium non est, literas ad tribunalia Romana directas latinâ linguâ conficere. Verum si vernaculâ linguâ scribantur, id saltem observetur, ut scribens caractere latino utatur. — Nomina loci, dioecesis etc. propriis suis nominibus scribi debent, quibus in sua patria vocantur, non nominibus latinis, in quae latina lingua secundum lexica ea mutat; atque nomini urbis vel oppidi nomen provinciae addatur, ne pro directione literarum oriantur difficultates.

Literae ad Datariam directae foris inscribuntur: „*Ad Summum Pontificem — Romam*“, — vel etiam: „*Eminentissimo Principi, Reverendissimo D.*

<sup>1</sup> Haec taxa ea est, quam Dataria, si apud eam petitio fit, consueverit imponere; nam apud Poenitentiarium, si a publico impedimento pro pauperibus dispensatur, taxam longe minorem esse, jam supra dixi.

D. N. (praenomen) *Cardinali N.* (cognomen) *Prodatario*<sup>1</sup>. Etiam in ipsis literis, qui scribit, ipsum S. Pontificem alloquitur, verbis: „*Beatissime Pater*“.

Literae ad Poenitentiarium destinatae scribuntur ad Cardinalem Poenitentiarium Majorem:

„*Eminentissime Princeps,  
Reverendissime Domine!*“

foris vero similiter ut supra:

„*Eminentissimo Principi,  
Reverendissimo D. D. N. Cardinali N. (Poenitentiarium Majori)  
Romam*“;

vel si mavis:

„*Sacro Tribunali Poenitentiarum Apostolicae  
Romam*“.

IV. Tenor literarum, quae dirigi debent ad Apostolica tribunalia, 807 jam considerandus est. Quem in finem juvat prosequi instructionem S. Congregationis de Propag. Fide, supra praec. § ex parte jam datam ex die 9. Maji 1877.

„Sed jam se convertit instructio ad ea, quae *praeter causas* [NB. ergo ante omnia causae vere motivae, eaeque canonicae indicandae sunt, ut dispensatio concedi *possit*] in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda de jure vel consuetudine aut stylo curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. „Nomen et cognomen oratorum, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.“

2. „Dioecesis originis, vel actualis domicilii. Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.“

3. „Species etiam infima impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum proveniret ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.“

4. „Gradus consanguinitatis vel affinitatis, aut honestatis ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta an transversalis; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.“<sup>1</sup>

5. „Numerus impedimentorum, e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel aliud quodecunque impedimentum sive dirimens, sive impediens.“

6. „Variae circumstantiae, sc. an matrimonium sit contrahendum vel 808 contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus

<sup>1</sup> Quibus limitibus haec omnia *valorem* dispensationis attingant, vide infra.